UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

38. Quomodo D. Lindanus voto D. Apolloniæ facto, à dentium dolore, & frater eius voto D. Machato facto, à claudicationis periculo liberatus est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52445

Visual Library

ſuffragium perſentire meruit. Legimus au
in multis alijs ſimilia contigiſſe, vt D. Mar-
co, Paulo Eremitæ, S. Furſæo, Muſæ puellæ,
(de qua ſupra libr. 2. cap. 15.) & alijs multis,
qui hymnis cœleſtibus & angelico comita-
tu ad æterna cœlorum gaudia deduci viderũt
illi, quos Deus hac fœlici viſione dignatus
eſt.

*Wilhelmus Lindanus Epiſcopus Ruremun-
denſis lib. 2. cap. 2. De fugiendis idolis quo-
modo ipſe D. Lindanus voto D. Apolloniæ
facto, à dentium dolore, & frater eius voto
D. Machato facto, à claudicationis peri-
culo liberatus ſit.*

CAP. XXXVIII.

CVM me puerum (ne domeſtica Dei O-
ptim. noſtram in familiam collocata
ingrato prætereamus ſilentio) grauius
gingiuarum corripuiſſet dolor, pia mater
mea (cui cum parentibus omnibus Deum pre-
cor quotidie propitium) meis cruciatibus af-
flicta, mei liberandi à malis cauſa D. Apollo-
niæ votum fecit, diemque ieiunio ſe colitu-
ram promiſit, ego me illius precibus libera-
tum memini: atque occurrente D. Apolloniæ
feſto, me matrem ſcio admonuiſſe ob acce-
ptum per interceſſionem diuæ beneficium,
Deo eſſe ieiunandum, votumque ſoluendum.
Illa abblandiens puerili voto, ieiunium, fili,
inquit illa in alium differemus diem, quia
ſunt carniualia, ſiue vti vulgus appellat, carnis

priuium. Certè cùm frater meus germanus, Hadrianus Lindanus prætor Hagen. in cunis laboraret ex pede ſiniſtro, ac mater vereretur, ne quid incommodi, aut aliquid claudicationis contraheret, mox à chirurgi periculo ad- monita, votum Deo obtulit, rogans vt interceſsione diui Machuti, qui in Eccleſia Traiectenſi ad Rhenum ſolet talibus in periculis ad auxilium & comprecationem implorari, puer malo liberaretur, iuit, vota obtulit, rediit, filium reuerſa domum ſanatum reperit, ac nos lætiſsimo fuiſſe perfuſos eius redeuntis gaudio commemini,

D. VVilhelmus Lindanus ibidem. Quomodo ipſe D. Lindanus adhuc puer à parentibus ſuis fraternitati S. Huperti aſſcriptus, à rabido cane ipſum puerum præter currente, miraculosè intactus permanſerit.

CAP. XXXIX.

VNum illud ingratæ obliuioni tradere mihi foret religio, quod ex religioſa meorum parentum pietate mihi puero ex ſingulari beati Huperti patrocinio & certo præſidio accidiſſe vicini noſtri meminerunt non pauci. Rabidum agitabant canem ciues Dordraceni, qui per compita obuios ſuo venenato morſu momorderat. Ille perſequutorum plagas, lapides, & clauas fugiens ædes paternas tranſcurrebat. Quotquot illum accurſantem, turbamque inſequentem videbant, aufugerunt. Ego platea publica meis cum æquali-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN